



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Iacobi Philippi Tomasini Sancti Georgij ab Alga Venetiarum Canonici Secularis De Donariis ac Tabellis Votivis Liber Singularis**

**Tomasini, Giacomo Filippo**

**Vtini, 1639**

XXX. Aurigarum Vota.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13253**

## AVRIGARVM VOTA.

**N**on minima aurigantium gloria in Equis erat. Inde Hipponam Equorum prouidam Stabularij colebant, cuius simulacrum locabatur in stabulis. unde Iuuenalis Satyra VI II. versu 153.

*———— iurat.  
Hipponam & facies olida ad praesepia pictas.*

Vbi Adrianus Turnebus Aduers. Lib. xxiv. Cap. 4. Eponam rescribit, contendens nec Hippo, nec Hipponam legi posse, sed in puluerulentis Bibliothecarum Iuuenalibus Eponam reperi.

Qualiter Prudentius in Apotheosi:  
*Nemo Cloacina, aut Epona supra astra Deabus.*  
Et Plutarchus in Parallelis *ἵππων* usurpauit. Quæ profecto coniectura omnino probabilis, cum geminam pro hac sententia videam Inscriptionem. Quid enim hisce clarius?

DEÆ. EPONÆ. M. OPILIVS. RESTIO

&c.

V. S. L. M.

Et:

CAMPES. ET. EPONÆ

&c.

V. S. L. L. M.

Sic igitur restituendus planè florentissimi Tertulliani in Apolog. Cap. xvi. locus, ubi hunc superstitionis ritum fanaticis istis merito exprobrat. *Kos tamen non negabitis & iumenta omnia & cunctos canterios cum sua Epona coli à vobis.*

Hanc coronis roseis ornatam Apuleius fingit Lib. III. de Asino aureo: *Respicio pila media, qua stabuli trabes sustinebat, in ipso ferè meditallio Hipponæ Deæ simulacrum praesidens adicula, quod accuratè corollis roseis recentibus fuerat ornatum.*

Av-

AVRIGÆ autem non solum huic Deæ Vota soluebant, sed Neptuno etiam Equorum ornamenta, ceteraq; quæ actoribus in ludis usui, dicabant. Variorum Epigr. Lib. 6. Cap. 2. Epigr. 1. Vbi Neptunus auctore Lactantio Lib. vi. Cap. xx. Circi præses erat, ut Deus Equestris ἵππιος Græcis nominatus ab Equis, teste Porphyrio de Abst. Lib. 111. Nominis rationem reddit Festus: *vel quod Pegasus ex eo & Pegaside natus sit: vel quod equuleus, ut putant, loco eius suppositus Saturno fuerit, quem pro Neptuno deuoraret: vel quod tridentis in terra equum excierit. cui ob hoc in Illyrico quaternos equos iaciebant nono quoque anno in mare.*

Atque eo in loco Mercurij Statuam ad Carceres positam fuisse innuit ibidem Epigram. 2. Ita apud Pindarum Isthm. Od. 2. rectè fingitur Neptunus Xenocrati Isthmiam victoriam præbuisse. Hinc facilè intelligitur Hippocratis de morbo sacro locus: *Si auctiorem & vegetiorem vocem edat æger, equo similem esse dicunt, & ad Neptunum causam referunt.*

Ludi verò Circenses fiebant in honorem Neptuni, quem Censum appellant, quibus agitabatur Troia; Ludus scilicet Equestris adolescentiæ, cuius meminit in Augusto Suetonius. de quo intelligendum esse libelli de Theriaca ad Pisonem Galeno ascripti auctorem non obscuris argumentis eruditè conijcit Gaspar Hofmannus Variarum Lectionum Lib. vi. Cap. v.

Sed & Venus ἵππιος, hoc est, *Equestris* Aeneæ iussu dicta fuit, cum ipse post longa navigationis rœdia littori redditus tandem equum conscendens matrem Venerem tali effigie coluerit.

## CAPVT XXXI.

## PISCATORVM VOTA.

Veterum opinione Pisces in Deorum numerum relatos fuisse tradit Xenophon de Chalo fluuio verba faciens:

Z

Eras